Tandem asperitate itineris et laboris turbatus, in nomine, inquit, Patris, quomodo sic imus? Quo dicto, maligna illa mulier citius evanuit. Et cum coeli esset serenitas, magna eadem hora circa eum facta est tempestas et pluvia, ipsumque madefactum exterius, interius confusum remisit ad conventum. Confessus est postea, quia quamdiu cum muliere illa deambulabat, maximam carnis titillationem habuerit. **[336]** NOVICIUS: Puto quod fuerit spiritus fornicationis. MONACHUS: Juste moveris. Saepe enim peccatum peccato punitur, et per lapsum carnis superbia mentis in multis humiliatur. Inde habes exempla plurima in Vitaspatrum. NOVICIUS: Potest diabolus laedere aliquem prout vult? MONACHUS: Nequaquam sine Dei permissione, et hoc in corpore, sicut Job. Nunquam vero in anima hominem laedere potest, id est, ut eum peccare cogat, nisi mente consentiat.

CAPITULUM LII.

Quod diabolus similis sit leoni ad stipitem ligato.

Diabolus similis est urso sive leoni ad stipitem ligato, qui licet in catena sua rugiat circuiens, neminem tamen laedit, nisi quem infra suum circulum rapuerit. Diaboli potestas catena divinae cohibitionis sic artata est, ut neminem cogere possit ad peccandum, nisi ad eum ingrediatur per peccati consensum. Secundum Apostolum Petrum, tanquam leo rugiens circuit in sua catena, quaerens quem devoret. Saepe sanctos viros terret et impedit, sed nocere non potest.